





14

1724, 4.

25

DISSERTATIO POLITICA,

DE

# LEGIBUS SUMTUARIIS,

QUAM,

PRAE SIDE

JOH. TILEMANN DICTO SCHENCK.

PHILOSOPH. DOCTORE ET PROFESSORE PHILOSOPH.  
PRACTICÆ ORDINARIO,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
OBTINENDIS,

AD DIEM APRILIS MDCCXXIV

PUBLICE DEFENDET

A. & R.



REINH. CHRISTOPH. QUENTELIUS,  
HASSO-ALLENDORFFENSIS.

MARBVRGI CATTORVM,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.

Dissertatio  
De  
GETTUS  
SUNTARIIS

PARVITATE  
JOHANNES SCHENCK  
THEOSOPHIAE DECORATIONE ET GESTORES PHILOSOPHI  
STUDIORUM ORTHODOXIA  
EX SUMMA ET MUNIFICENTIA MURIBVS  
OBIUERIS

AD DILECTAM ALIAS MODERNAM

THESEIS DE LIBERTATE

CHRISTIANUS DULICHINUS

THEATRUM PHILOSOPHICUM

THEATRUM PHILOSOPHICUM

THEATRUM PHILOSOPHICUM

THEATRUM PHILOSOPHICUM

THEATRUM PHILOSOPHICUM



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>ONIS  
DE  
LEGIBUS SUMTUARIIS,

§. I.



Rduum munus est Imperium Summum, grave non minus iis, qui regunt, quam salutare iis, qui reguntur. Cum enim Moderatori Reipublicæ beata Civium vita proposita sit, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta existat: id quam difficile, quantæque molis sit universam illam multitudinem inquietam, discordem, turbidam, imprudentem, sub commune quoddam obedientiæ jugum leniter redigere, res ipsa loquitur. Majus certe quiddam est, quam vulgo creditur, in undoso illo mari cursum rectum tenere, multis hic virtutibus, varia prudentia opus, quibus, velut anchoris, hæc navis firmetur, velut clavo gubernetur, ne in summa fortuna, licentia ventis abripiatur.

A 2

§. II.

## §. II.

**E**n numero illarum curarum, quæ Imperanti circa omnigenam rerum sufficientiam incumbunt, illa non infima est, quæ, publicæ rei & privatae, propositis *Legisbus Sumtuariis* prospicit, de quibus pro modo & modulo Dissertationis Academicæ in præsens differere, eademque ad normam regularum Prudentiæ Civilis exigere, nobis constitutum est. Dicuntur alias ab objecto specialiori, *Leges vestiariæ*, item *cibariæ*, *epulis nuptialiibus*, *lustricis*, *feralibus*, similibusque conviviis, quin & victui quotidiano mensuram præscribentes; *Kleider* / *Ordnungen* / *Ordnungen wie es mit Eheverlöbnissen* / *Hochzeiten* / *Kind-Tauften* / *Gastereyen und Leichbestattungen zu halten* / &c. ac sub generaliori nomine *Ordinationum Politicarum*, der Polizey, *Ordnungen* / comprehenduntur. Describimus illas, quod sint: *Leges Publicæ* quæ sumtibus civium finem modumque statuunt, saluti Reipublicæ attemperatum.

## §. III.

Quemadmodum vero in confesso ponimus, Imperanti Summo jus competere civibus Leges ferre circa usum bonorum suorum, eoque modum ponere sumtibus extra necessitatem positis, quibus privatæ domus, & inde civitas exhaustur, ut sic quilibet non tantum pro mensura facultatum, sed etiam pro ratione dignitatis in victu & amictu decenter sese gerere teneatur. Ita hoc præstructo, demonstratu tanto facilius, Leges istas Reipublicæ utilissimas esse, quibus mala è luxu & luxuria oriunda, velut in ortu suo supprimuntur; quo certius, eadem ratione initii, ad τὸ μικρὸν, & parva sine exigua illa pertinere de quibus

ARISTO-

❧ 5 ❧

ARISTOTELES *Liber. V. Polit. cap. XI.* (Paraphraste HEINSIO) graviter ita differit: *In Republica quæ bene & quemadmodum oportet constituta sit, cavendum diligenter esse in parvis, quæ quia tales sunt, facillimè decipiunt & imponunt, nam in parvis cum peccatur, facile ad majora vel ignari vel inviti transeunt, qui ea negligunt, perinde ut parvi sumtus, qui frequenter fiunt, patrimonia exhauriunt, hoc ipso, quod frequenter fiunt.* Eadem inquam ratione, mala, quæ è luxuria subnascuntur, ab initio quidem poena nondum digna, neglecta tamen & insuper habita, multorum magnorumque malorum causam præbent, ipsamque Rempubl. funditus trahunt.

§. IV.

Id ipsum vel solum Reipubl. Romana exemplum confirmat, in qua nimia felicitas, indequé, quæ in rebus humanis solet esse immoderatio, subnatus luxus, sat validis legum repagulis haud coercitus, eoque immensum prorumpens, omnium calamitatum causa fuit. Postquam enim Populus ille per plura secula frugalitatis & parsimonia studiosissimus fuerat, in ista morum simplicitate probè secum reputans quòd ambitionis mensam fortuna, parcā virtus apponat, quòdque conviviorum & vestium luxuria ægræ civitatis indicia sint. Deinceps tamen & ex quo ab exiguis initiis ad illud fortunæ fastigium ascendere cœpit, ut Gentium victor & effet & diceretur, ab ista continentia maturè satis descivit. Non defuerunt equidem Legislatores officio suo in tantum, ut luxui invalescenti obicem ponere planè non allaboraverint: quin potius primas Leges Sumtuarias ex rhetris Lycurgi, & axonibus Solonis Romanam jam translatas

A 3

fuisse,

fuisse, AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XVI. cap. 35.* auctor est. Primam vero earum, quæ ad populum pervenere Legem Sumtuariam, Orchiam fuisse, qua certus convivarum numerus præscriptus: Eandem mox Legem Fanniam inse- cutam esse, quæ & inter paucos bona sua consumere prohibitum; idemque Lege Didia extra pomœria urbis ad u- niversam Italianam extensum: mox quoque Legem Licini- am accessisse, quæ festis & profestis diebus, sumtibus in vi- ctum erogandis, certus modus præstitutus; has omnes deinceps Lege Corneliatæ, à Dictatore Sulla latâ, nec minus Lege Aemilia & Antia per intervalla temporum confirmatas fuisse, è MACROBIO *Saturnal. Lib. XI. cap. XIII.* GELLIUS *Liber. II. cap. 24.* A. AUGUSTINUS, MANUTIUS, PIGHIUS, aliique Antiquitatum Rom. scrutatores, pluri- bus obseruârunt.

## §. V.

Verum enim vero, luxuria blandum illud malum (quod, dicente VALERIO M., accusare aliquantò facilius est, quam vitare) jam tum tanta incrementa cœperat, ut in türbi- do illo & irregulari Reipublicæ Rom. Statu cohiberi amplius haud potuerit, ipsæque Leges summa sapientia & consilio latæ sine moribus, parum aut nihil proficerint. De Lege Antia, quam supra memoravimus MACROBIUS l. c. anno- tavit, eandem, licet optima fuerit, obstinatione tamen luxuria, & vitiorum firmâ concordiâ, nullo abrogante, irritam fuisse factam. Memorabile etiam est, quod DIO HISTOR. *Lib. XXXIX.* refert, cum de renovanda Lege Sum- tuaria ageretur, Quintum Hortensium unum ex iis, qui maximos sumitus facerent, Urbis magnitudine deprædica- ta, Consulibusque ob sumtuositatem domesticam & magni- ficer-

## ¶ 7 ¶

sificantem collaudatis, eorumque vita sue Orationi in sub-  
sidium adhibita, id effecisse, ut a proposito discederent. &  
disceptationis verecundia moti, quodque videri nollent,  
ac sicut, quæ ipsi usurparent aliis inviderent, ultrò rogati-  
onem istam omiserint. Ut adeo verissime judicaverit FLO-  
RAS Libr. III. cap. XII & Libr. IV. cap. 2. luxuriam ex ab-  
usu nimis felicitatis subnatam, nec mature latis suppressam,  
omnium calamitatam quæ Rempublicam Rom. hacte-  
nus affecerant, causam fuisse.

## §. VI.

Ex hisce quæ prælibavimus, objectum Legum Sum-  
tuariarum, ubi luxuria per longas moras jam invaluit, per  
se patescit. Ad cuncta nimirum eadem se porrigit,  
quibus pecunia prodigitur. Specialius vero excessus istos  
in luxu, TIBERIUS Cæsar in gravissima illa Epistola apud  
TACITUM Annal. III. cap. 53. designavit, referens eo, in-  
suffita villarum spatia, familiarum numerum & nationes,  
argenti & auri pondus, æris tabularumque miracula,  
promiscuas fœminis virisque vestes, tum & illud fœmina-  
rum proprium ut lapidum causa, pecunia ad exterias aut  
hostiles gentes transferatur. Eodem pertinent, quæ AM-  
MIANUS MARCELL. Lib. XXII. cap. 30. differit: Crevère il-  
luvies & gurgites prærupti conviviorum, & epulares  
triumphi, ususque abuudantis serici, textiles autem sunt  
ertes, & culinarum sollicitior cura, & ambitiosa ornata-  
rum domorum spatia, quæ omnia peculiari libello de lu-  
xuria Romanorum seorsim explicuit MEURSIUS. Ad-  
datur FORSTNERUS ad Tacitum d. l. ubi cum hodiernis cor-  
ruptis moribus hac talia contendit.

## §. VII.

## §. VII.

Jam ad illam considerationem ubi pergitus, quām  
utiles civitati sint *Leges Sumtuariæ*, de eo vix aliunde  
melius constabit, quām si ad damna, quæ ex luxuria  
non solum in singulos privatos, sed & in universam con-  
fociationem civilem redundant, paulo pensatius adver-  
tamus. Priori intuitu depravationem sui ipsius luxui in-  
dulgentes hoc ipso sibi contrahunt, dum mentis nullam,  
corporis nimiam curam gerunt, si modo & istud curare  
centendi sunt, dum morbos, aliaque infinita mala in se tra-  
hunt, quin & mortem ipsam, quam tantopere exhorres-  
cunt, humano loquendi modo, sibi accelerant. Res ab-  
it, fides perit, eadem tamen illa quæ erat in abundantia  
libido, permanet. Dissipatio bonorum, indequé conflata  
rei familiaris egertas, & luxuriosos ipsos, & creditores  
ipsorum, quos defraudare tandem coguntur, in exitium  
perducit. Apud alios concives primò invidiam sibi con-  
citant, mox, ut blandum illud malum simul contagiosum  
est, eosdem ad similem stultitiam permovent, atque sedu-  
cunt; ita enim hominum ingenia comparata sunt, ut aliis,  
æqualibus imprimis, in his talibus haud concedere, quin  
potius eosdem superare præoptent. Quam in rem Au-  
ctor politissimi libelli *Les avautures de Telemaque Tom.*  
*V.p. 121.* prudenter ita differit: *par le luxe toute une nation*  
*se ruine, toutes les conditions se confondent. La passion*  
*d'aquerir du bien pour soutenir une vaine dépense, cor-*  
*rompt les ames les plus pures: & il n'est plus question que*  
*d'être riche, on emprunte, on trompe, on uſe de mille*  
*artifices indignes, pour parvenir.* Conf. Cel. Dn.  
WOLFFII vernünftige Gedanken vom Gesellschafts-  
hen

hen Leben der Menschen/ und dem gemeinen Wesen/  
§. 384. ubi incommoda illa, ea, quâ solet *experiētia* pluribus percenset.

## §. VIII.

Æquè gravia imò graviora mala ipsi Civitati à luxu imminent. Primò enim ad robur Civitatis quâm maxime facit, si Cives animis & corporibus vigeant, quæ luxus in languorem atque desidiam flectit; sicut è contrario, proscripto luxu, multis aliis vitiis inde provenientibus, radix quasi succiditur, illudque facilius obtinetur, ut Cives quâm paucissimis vitiis urgeantur. Deinde pecuniâ, nervo rerum gerendarum, profusè dissipatâ, aut planè pro paranda luxus materia, ad exterros translatâ, tributis aliquis praestationibus publicis exsolvendis, impares subditos reddi, necesse est: cum tamen nec quies Gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queant. Non equidem ignoramus Auctorem der Fürstlichen Schatz und Renten-Cammer (qui L. B. de Schröttern fuit:) Cap. 42. §. 215. haud contemnendis argumentis defendisse, daß das verbott Geld aus dem Land zu führen/ so schlechter Dinge weder practicirt werden könne noch dem Land nützlich seye &c. idem tamen Auctor dubium hocce mox sequentibus verbis removet, agnoscens, exportationem pecuniæ ad exterros, tunc quâm maxime damnosam esse, siquidem eadem, res non necessaria, luxui tantum inservientes, comparentur. Ut adeo DIONIS CHRYSOSTOMI verba huc omnino quadrent, Orat: 79. dicentis: *Nunquid animadvertis, quod hibamines* ( qui exoticas merces ad luxum suppeditant,) *tributum à vobis accipiant, non pro Regione, neque pro pecoribus*

ribus, sed pro cupiditate vestra atque dementia. Non enim si qui, armis facti superiores, cogunt vicos sibi argentum dependere, id solū dicitur tributum: neque hominum est admodum felicium, neque fortium tributa præstare alius: si autem quidam nemine invidente neque cogente, ob fatu-  
itatem atque delicias, argentum, quod plurimi æstimant  
præ omnibus, sponte mittant per magna viæ atque maris in-  
tervalla aliis, nonne plane pejus est turpiusque factum?  
Atque hoc magis, quod ibi parvos infimosque lapillos, at-  
que hercule etiam bestiarum ossa dantes, accipiunt argentum  
& aurum, pro utilibus inutilia permутantes. Accedit,  
quod hi tales, qui bona sua dissipârunt, ipsi Civitati gra-  
ves atque molesti fiant, ac deinceps non raro è publico  
sustentari debeant: & si qui eorum, publicis officiis ad-  
moveantur, semet ipsos venales præbeant, munera suis  
partes in merum quaestum convertent.

## §. IX.

Dudum quoque à rerum Civilium peritis observa-  
tum est, eosdem res novas querere, ita ut vel ipsimet Tyrannidi  
immineant, vel alios ad eam vocent, verumque semina-  
rium Catilinarium in Republ. constituant. Vere hinc Auctor  
*Parrhasian.* Tom. II. p. 275. L'histoire nous apprend, que Jule Cesar n'entreprit de se rendre Maître de la liberté de sa Patrie, que parce qu'il ne savoit de quoi payer ses dettes contractées par une prodigalité excessive, ni comment soutenir la dépense prodigieuse qu'il faisoit. Bien de Gens n'entrerent dans son partie, ou dans celui de Pompée que parce qu'ils n'avoient plus de quoi fournir au luxe, & qu'ils esperoient de gagner par la guerre civile, de quoi soutenir leur premier faste. Pour prévenir ces meaux, & les désordres il n'y a rien de plus utile, que des bonnes Loix Somptuaires,

que

*que l'on fasse exécuter rigoureusement.* Idem Auctor in sequentibus addit, *Leges Sumtuarias* ad promovenda variisque incommodis levanda civium matrimonia, plurimum valere, nec sine mysterio fuisse, quod Augustus & Legem Sumtuariam, & illam, quæ de maritandis ordinibus cavebat, uno eodemque tempore renovaverit.

¶ *Quemadmodum* verò hactenus dicta, liquido, ut credimus, evincunt, *Leges Sumtuarias* Reipublica summe necessarias & perutiles esse: ita jam porrò dubiis contra illas, earumque validitatem tantò facilius occurri poterit. Et primò quidem non desunt sat speciosa argumenta, quibus inferre nonnulli volueré, luxum inter vitia quibus civitas impar, quæque per Leges sisti haud possint, referendum esse. Id ut probent, ad exemplum Reipubl Rom. potissimum provocant. Sicuti enim sub libera Republ. *Leges Sumtuariae*, toties, ceu supra vidimus, renovatae, parum aut nihil profecerunt. Ità deinceps quoque (vid. SUETON. cap. 34.) *Lex Julia Sumtuaria*, ab Augusto lata brevi temporis spatio rursus oblitterata fuit, eaque migratâ, luxus ad cuncta quibus pecunia prodigitur, immensum proruperat. Cùmque Tiberii ætate Ædiles disseruissent, sperti Sumtuariam Legem, vetitaque utensilium pretia indies augeri, nec mediocribus remedii sisti posse, integrumque negotium, ad principem detulissent, is ipse tamen, utcunque antiquæ parsimonia princeps audiret, in speciosâ illâ epistolâ apud TACITUM Annal. III. cap. 53. omnem illam curam à se amoliri haud dubitavit, obtendens: nescire se, siquidem Ædiles ante se, cum consilium habuissent, an non sualisset, omittere potius, pravalida &

adulta vitia, quām hoc adsequi, ut palam fieret *quibus flāgitiiis impares essent*, sibi hac in parte neque silere, neque proloqui expeditum; non adilis, aut prætoris, aut consulis partes se sustinere, majus aliquod & excelsius à principe postulari. Quid enim primum prohibere & priscum ad morem recidere aggrederetur? (in tanto qui invaluerat luxu:) Non ignorare se in circulis & conviviis incusari ista, & modum posci, sed si quis legem sanctiat, pœnas indicet, eosdem illos civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitatueros esse &c. Verum hæc omnia gratis dicta & inter Tiberianas, easque sophisticas artes referenda esse, quis non videt? Ut cunque enim FORSTNERUS aliquæ commentatores ad d. l. è speciosa hac Tiberii Oratione, axiomata illa deduxerint, in thesi verissima, nocere sapius antiquum rigorem, nimiamque severitatem, cui civitas non amplius par, in omni vita genere esse, quæ à pristina sanctitate & Majorum innocentia ita degenerarunt, ut coercitio aliquando plus damni in Rempubl. latura sit, &c. Licet etiam PUFENDORFIUS in ea fuerit sententia, Tiberium ingruentes civium accusatores rectè hic repressisse, opulentissimi cujusque fortunis, obtenui criminum imminentes. Profundior tamen, si quid judicamus, huic orationi constitutio ratio, illa nimirum quæ in Rebuspubl. herilibus, iisque sophisticis, inter arcana, imo flagitia dominationis præcipua, ut de illis quæ fortitudinem, temperantiam, similesque virtutes augent, nihil publice statuatur, ne quod alias luxu perit, contra tyrannum insumatur, siveque potentiores luxu suo ad incitas redacti, eò facilius jugo colla submittant. Prout etiam TACITUS de Romanis alibi obser-

observavit, eosdem voluptatibus plus adversus subjectos, quam armis valuisse, ita hoc ipsum & genio & ingenio Tiberii convenientissimum, eidemque remedia ad luxum restinguendum haud defuisse, tantò minus dubitandum, cum idem Tacitus in seqq. memoraverit, adstriciti moris auctorem precipuum, Vespasianum, LL. Sumtuarias vigoris suo restitutisse

## §. XI.

Pariter nec illi audiendi, qui *LL. Sumtuarias* luxui reprimendo hodienum impares esse obtendunt. Quamvis enim *Ordinationes Politicae* magna cura, magnaque prouidentia, in Comitiis Imperii R. G. lata id efficere hactenus non valuerint, ipsam tamen Reip. magnitudinem, laxam illius compagem, morum & institutorum dissimilitudinem in causa fuisse, res ipsa loquitur. Et si in Provinciis Germania hujusmodi *LL.* à Domino territorii lata, in suo vigore non persistere (vid. *Dn. THOMASH. Unnerkunigen über M. von Offe Testament not. 262.*) id certe non inde est quod *LL.* vincula non ferat luxuria, sed quoniam *LL.* ipsa vigilanti semper executioni haud data, quin & remedia alia *LL.* pro firmamento succenturianda non fuere adhibita. Reliqua, quæ opponi solent, minoris adhuc ponderis sunt; quando enim ajunt, incommoda luxus tanti non esse, modò iis consumatur pecunia, que intra civitatis fines manent, quin potius hac ratione, ea quæ majorum aviditas corrasit per nepotum prodigalitatem rursus in populum spargi, omnemque pecunia fecunditatem ex motu provenire; solide his talibus reposuit supra laudatus Auctor des avantures de *Telemaque d.l.* On dit que le luxe sert à nourrir les pauvres, aux dépens des riches, comme

*si les pauvres ne pouvoient gagner leur vie plus utilement,  
en multipliant les fruits de la terre, sans amollir les ri-  
ches, par des raffinemens de volupté. Ut cunque etiam  
luxus ærario vectigalis sit, morbus tamen perniciosus est,  
quippe quo avaritia, malum vetus in audaciam impellitur,  
nec finit meminisse vietas esse Gentes, quæ eum vivendi  
modum tradidere, prout in simili casu GROTIUS Lib. V. An-  
nal. Belgic. ad ann. 1588 loquitur.*

## ¶ XII.

Illud de cetero ultrò agnoscimus, lento potius,  
quam violento adjutorio hēc opus esse, primum quidem  
non ut definat malum, sed ne vincat, mox ut decreseat,  
tandem ut penitus extirpetur. Et sicut finis Legum illa-  
rum, quæ Civium sumtibus finem modumque statuunt  
in summa duplex est, tum ne opes quæ prodiguntur ex-  
tra civitatem migrant, aut si in eadem maneant, privatas  
tamen domos non exhaustant; tum etiam, ut in habitu  
externo quoque Ordinum & dignitatum aliqua sit distinc-  
tio, & sic quilibet non tantum pro mensura facultatum  
sed etiam pro dignitatis ratione se decenter gerat. Ita ei-  
dem fini omnes ejusmodi Ordinationes attemperandas es-  
se, res ipsa loquitur. Priori fini obtinendo quam maxi-  
me conducunt Ordinationes, quæ res infectas seu rudes,  
evehi prohibent, & quos fructus terra fert, ut incolæ fa-  
ciant frugiferos, non solum jubent, sed & ut subditi missâ  
rerum peregrinarum stolidâ cupidine, in victu & amictu  
iisdem utantur, præcipiunt, quin etiam si mali ea sit  
pertinacia, ut spreta omni prohibitione, longinqua avi-  
dius secentur proximorum incuriosi, vectigalia inve-  
ctioni rerum ad luxuriam facientium non solum impo-  
nant,

nant, sed etiam intendant. Quam in rem supra laudatus  
 Auctor der Fürstl. Schätz und Renth-Cammer in Ap-  
 pend. pag. 580. prudenter ita differit: „Der Entzweck in  
 den Kleider-Ordnungen geht da hinaus / daß um  
 solchen Hoffarth zu erkauffen nicht so viel Geld aus dem  
 Land gehe / und dann daß ein Unterschied des Stan-  
 des / unter den Leuten könne erkennet werden ; wann  
 man nun in Verfertigung und Einrichtung einer Klei-  
 der-Ordnung diesen Zweck beobachten will / kan solche  
 in wenigen Puncten absolviret werden / dann wann  
 niemand etwas anders tragen darf als was im Land fa-  
 briciret wird / so kan kein Geld vor dergleichen Waaren  
 aus dem Land geschicket werden“ &c. Posteriorem si-  
 nem quod attinet, tanto difficultius is obtinetur, quo plu-  
 res in Republ. Dignitatum & graduum subordinationes  
 sunt: quo certius etiam, fieri aliter non posse, quin ex-  
 dem externis quoque signis dignoscantur, solamque men-  
 suram facultatum, ad paritatem in habitu externo per-  
 mittendam haud sufficere. Conducet interim, si infe-  
 rioribus prohibeatur, quod superioribus permisum:  
 Utrum vero consilium L. B. de Schröttern d. l. ut omnes  
 in Republ. uniformi habitu utantur, singuli vero Ordi-  
 nes certo quodam *yvagis uarii*, in vestitu adhibendo, ab in-  
 vicem distinguantur, ad effectum æque facile perduci  
 possit, à specialiori disquisitione dependet, ad quam &  
 reliqua qua supersunt, instituta imprimis in variis diver-  
 sarum Nationum Legibus Sumptuaryis, quas collegimus,  
 obvia, penitus expendenda, nunc quidem reservamus  
 Fauxit D. T. O. M. ut qui in his talibus peccant, humanis  
 quoque ordinationibus aurem præbeant morigeram, sique  
 luxu-

luxuria se ipsam recognoscens, in poenitentiam conver-  
tatur, ne Dei indignationem & severitatem *Esaie. III. 18.*  
luxui interminatam, aliquando experian-  
tur.

## C O R O L L A R I A.

I. *Mentis esse absolvitur sui & aliarum rerum consci-entia, non vero pronitate aliquâ ad cogitandum.*

II. *Duas tantum ei facultates tribuimus, intellectum & Voluntatem. Secundum illam potest aliquid infallibiliter cognoscere, juxta hanc liberè operatur.*


III. *Illâ autem libertas dicitur spontaneitatis, non indifferentiae, quippe quæ ex mera oritur ignorantia, a-deoque imperfektione.*

IV. *Ab essentia mentis nostræ argumentamur ad Dei essentiam, hac ratione, ut Deo id perfectissimô modô adscribamus, quod in nobis perfectionis est, è contrario autem longissimè ab Eo removeamus quod imperfectionem & dependen-tiam involvit.*

V. *Dei essentia consistit in perfectissimâ sui ipsius & suarum perfectionum conscientia.*

VI. *Perfectissimus in Deo est intellectus, perfectissima voluntas. Ratione illius Deo tribuitur omniscientia, ratione hujus Omnipotentia & Libertas.*

VII. *Quæ libertas etiam indifferentiae alias rectè di-citur.*



Dum

**D**Um methodum veram præscribis quomodo vita,  
Legi conveniens, instituenda bene.  
Demonstras studium semper sine crimine vitam  
Ducendi, junctam cum pietate proba  
Gratulor hos ausus: Pergas hoc tramite dextre  
Et discas leges corde agitare Dei  
Quo tandem liceat præfixam attingere metam.  
Atque gregem Christi pascere rite queas.

*Hac in honorem DN. Respondentis, Amici sui  
Suavissimi & Contubernialis integerrimi ad-  
jicere voluit*

**MAURITIUS FÜLLINGIUS.**  
*Theol. Stud.*

**N**ON satis est artes, præclaras discere multas,  
Ni pariter reliquis perspicue pateant;  
Nunc igitur celebrem Cathedram concendis amice,  
Defendens alacris, quæ placuere theses:  
Nec minus ingenio promte argumenta refelles,  
Hinc merito Surgit Lausque decusque tibi,  
Det Deus, ut Spartam sic possis sæpe tueri:  
Quo pede copisti, sic bene semper eas.

*Pauca hac amico integerrimo suo apponere voluit,  
debuit,*

**JOH. SIGISM. KLINCKERFUSIUS,**  
*Allendorffensis ad Salinas Hassus*

C


Arti-

**A**rtibus ingenuis qui se se mancipat ipse,  
Atque bonos libros nocte dieque legit,  
Ille immortalem laudem famamque reportat,

Atque illum certò præmia multa manent.  
Hoc de Te, meritò & summo cum jure licebit  
Dicere, dum specimen tradis, Amice, novum.  
Gratulor ergo Tibi: Numen tua cœpta secundet  
Ac semper felix, tramite perge bono.

Panca hec Pereximio atque Doctissimo Dn. Re-  
spondenti Conterraneo Suo charissimo in per-  
petua amicitia testimonium lubens addere  
voluit.

**DAVID CHRISTIANUS de HAGEN,**  
Allendorffensis Hassus.



Joh. Sigism. TINCKERLIUS





Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle  
003 599 06X

3



→ OLSb. +

Kunst H. 11 Schriftverzeichn.





DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> POLITICA,  
DE  
LEGIBUS  
SUMTUARIIS,  
QUAM,

PRAE<sup>S</sup>I D E  
JOH. TILEMANN DICTO SCHENCK,  
PHILOSOPH. DOCTORE ET PROFESSORE PHILOSOPH.  
PRACTICÆ ORDINARIO,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
OBTINENDIS,

AD DIEM APRILIS MDCCXXIV.

PUBLICE DEFENDET

A. & R.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

REINH. CHRISTOPH. QUENTELIUS,  
HASSO - ALLENDORFFENSIS.

MARBURGI CATTORVM.

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.